



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt episcopis nullus laicus crimen imponere possit. cli.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BVRCHAR DI EPIS. VVORMAC.

Ex concil. Cartha. cap. 12. **F**elix episcopus dixit: Suggero secundum statuta veterum conciliorum, ut si quis episcopus, quod non optamus, in reatum aliquem incurrit, & nimia necessitas ei fuerit non posse plurimos congregare: ne in crimine remaneat, à XII. episcopis, & presbyter à sex episcopis, cù proprio suo episcopo audiatur, & diaconus à tribus.

De episcopo criminato si episcopi comprouinciales in eius criminazione dissenserint. Cap. CL.

Ex cōcili. Antioche. cap. 14. **S**i quis episcopus de certis criminibus diiudicatur, & contingat de eo comprouinciales episcopos dissidente, cùm iudicatus ab aliis innocens creditur, reus ab aliis aestimatur, propter huius ambiguitatis solutionē sanctae synodo placuit, ut metropolitanus episcopus à vicina prouincia iudices alios conuocet, qui controuersiam tollant, & vt per eos simul, & per comprouinciales episcopos quod iustum fuerit visum approbetur.

Vt episcopis nullus laicus crimen imponere possit. Cap. CLI.

Ex decre. Sylvestri papae, cap. 1. **I**n consensu & subscriptione omnium constitutum est, ut nullus laicus episcopo, vel alicui in ordinibus positio, crimen aliquod possit inferre. Et vt presbyter non aduersus episcopum, non diaconus aduersus presbyterum, non subdiaconus aduersus diaconum, non acolytus aduersus subdiaconum, non exorcista aduersus acolylum, non lector aduersus exorcistam, non ostiarius aduersus lectorem, det accusationem aliquam. Et non damnetur praesul, nisi in LXX. duobus idoneis testibus.

Quod inimici accusatores esse non possint. Cap. CLII.

Ex decre. Anacleti papae, omniibus epis copiis mis sis, ca. 37 **A**ccusatores autem & testes esse non possunt, qui in proximo facti sunt inimici, ne irati nocere cupiant, ne lèssi vlcisci se velint. In offendis igitur, accusatorum & testimoniis affectus querendus est, & non suspectus.

Vt episcopi accusatorum episcoporum iudices esse debeant. Cap. CLIII.

Ex decre. Damasi papae, cap. 3. **A**ccusatorum episcoporum iudices esse decernimus episcopos sapientes, recte & iuste volentes. Qualiter accusatus episcopus discutiendus sit apud patriarchas vel primates, & quot testimonibus concueri debeat. Cap. CLIV.